CENSURA GENERALIS CONTRA ERRORES, QUIBUS RECENTES HAERETICI…

Spagna : Consejo de la Suprema y general inquisicion, …

FERDINANDVS DE VALDES MISERATIONE DIVINA ARCHIEPISCOPVS HISPALENSIS, INQVISI-

tor Apoſtolicus generalis, contra Hæreticam prauitatem, & apoſtaſiá, in cunctis regnis & dominijs Ioannæ Reginæ, ac Carolo Imperatori et Regi, dominis noſtris ſubiectis, etc. Vniuerſis & ſingulis eccleſijs, monaſterijs, collegijs, uniuerſitatibus, ac ſingularibus perſonis, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, præeminentiæ, in dictis regnis & dominijs exiſtentibus, ſalutem & gratiam.

NOVERITIS, quòd ubi primùm ad nos peruenit, à pleriſque & uariis regionibus importatos eſſe in hæc ipſa regna complures libros, uariis & diuerſis prælis excuſos, multis uitiis, erroribus, ac hæreſibus refertos, in graue damnum & offenſam Orthodoxæ fidei, ac Chriſtianæ religionis: curauimus diligenter vt ipſi libri exquirerentur, atque adimerentur tam à collegiis & vniuerſitatibus; quàm à Bibliopolis, & aliis perſonis ſingularibus, penès quos eiuſmodi libri eſſent, ac reperirentur, atque per edictum publicum cautum eſt, ne eiuſmodi libri venundarentur, ne'ue aliqui eiſdem vterentur. Præſertim uerò interdiximus Biblias, & Teſtamen-

A 2 ta

ta noua ſeorſum excuſa & impreſſa, ab aliis libris Bibliorum, quo ad videlicet viſis, excuſſisq; erroribus in eiſdem contentis, decretum ac diffinitum fuiſſet per viros tum probos, tum doctos, quid eſſet hæreticum, aut in fide ſuſpectum, vel malè ſonans, & cuius lectio minus eſſet conueniens, aut alioquin offendiculum & ſcandalum inter Chriſti fideles generaret. Idq; omne maturè in Conſilio generalis inquiſitionis tractaretur, ac diſcerneretur quid de eiuſmodi libris faciendum, aut aliàs prouidè de hac re ſtatuendum eſſet. Et quoniam his diligenter peractis, interceptæ fuere pleræque Bibliæ variarum excuſionum, in quibus multi errores inueniuntur, præſertim in ſummariis, & additionibus, & indicibus aliquot, maximè autem in Bibliis quæ ab anno Milleſimo quingenteſimo vigeſimo octauo, uſque ad hæc tempora typis repræſentatæ prodierunt; atque itidem in ipſis eiſdem Teſtamentis nouis ſeorſum à Bibliis impreſſis, in quibus quidem Bibliis aut Nouis Teſtamentis, quæ ab eodem tempore ad hunc uſque diem ſunt excuſa, inueniuntur multi errores, & loca deprauata, non legenda, nec communicanda fidelibus Chriſtianis: quam ob rem iure optimo præcipi à nobis poterat; vt huiuſmodi libri omnes quibus tales errores inſunt, vel conſcinderentur, vel concremarentur, ita vt nullatenus apparerent. Veruntamen conſiderantes eiuſmodi errores in ipſo contextu ſacræ paginæ non inueniri,

 ſed

ſed tantùm in ſummis, ſummariiſque, additionibus, & indicibus, vt ſuperius dictum eſt: præterea numerum earundem Bibliarum ingentem eſſe, quodq; multæ eccleſiæ, monaſteria, vniuerſitates, bibliopolæ, ac ſingulares perſonæ conqueruntur, dicentes ſe graui damno affici, ſi eiuſmodi libri omnino eiſdem adimerentur, aut deſtruerentur. Re diligenter tractata in Senatu generalis inquiſitionis, in conſilium etiam adhibitis multis doctis viris tam ex uniuerſitatibus Salmanticenſi, & Complutenſi, quàm aliorum inſignium locorum, ac deinde eadem re delata ad Sereniſſimum principem PHILIPPVM, regnorum præfatorum gubernatorem, ac dominum noſtrum: eius auctoritate decretum eſt, Cenſuram quandam fieri, qua indicarentur, & annotarentur in ipſis Bibliis & Teſtamentis nouis, loca omnia, quibus inſunt errores, aut verba ſuſpecta, vt videlicet eiuſmodi locis exemptis, vel deletis, & omnino obliteratis, ita vt minimè legi poſſint, ordine & forma infraſcriptis, permitterentur haberi, ac legi Bibliæ ipſæ, ac Teſtamenta noua quæ hactenus in præfatis regnis & dominiis inueniuntur. Hac tamen lege, vt poſthac non liceat importari, aut uendi alia quæpiam ex antedictis excuſionibus contaminatis. Quibus omnibus uiſis, decretum fuit ſuper hoc dari, & promulgari debere has noſtras literas, ſiue hoc edictum, vnà cum ipſa Cenſura, tenoris ſequentis.

PRIMVM igitur ſtatuimus, & ordinamus, vt nulla

nulla Eccleſia, Monaſterium, Collegium, Vniuerſitas, aut perſona ſingularis, in ipſis regnis & dominiis exiſtens, cuiuſuis ſtatus, conditionis, aut præeminentiæ fuerit, præſumat habere, legere, aut vendere aliquam Bibliam, aut Teſtamentum nouum ex notatis in ipſa Cenſura, dictarum impreſſionum deprauatarum, quæ delata & importata ſint vſq; ad hæc tempora in ipſa regna & dominia, niſi prius eadem exhibuerit Inquiſitoribus loci, & diſtrictus vbi ipſe extiterit, ſeu perſonæ aut perſonis ab ipſis ad hoc deputatis, ſeu deputandis, aut Epiſcopo diœceſeos, vel eius officiali, aut Vicario generali, quo videlicet deleant, obliterent, ac adimant ex huiuſmodi libris notatis per ipſam Cenſuram, indices, loca, & ſummaria, deprauata, & ſuſpecta ita vt minimè legi poſſint, atq; hoc fiat actis publicis coram Notario & teſtibus, die, menſe, & anno additis: Idq; facere teneantur infra ſexaginta dies poſt publicationem literarum noſtrarum, & Cenſuræ, factam in metropoli, uel eccleſia cathedrali, vel in aliquo alio loco publico cuiuſq; diœceſeos, Epiſcopatus vel ciuitatis: in libris tantum qui in præſentia reperiantur in præfatis regnis & dominiis: Atque hoc ipſo præſtito, deinceps, poſſint habere & legere eadem volumina, ipſiſq; vti: quæ ſi intercepta aut ſequeſtrata fuerint, emendata ac repurgata reſtituantur ſuis dominis. Volumus autem Bibliam Luthetiæ impreſſam per Robertũ Stephanum cum duplici tranſlatione vulgata & noua,

&

R i R

& cum apoſtillis Batabli in mediocri forma, anno Milleſimo quingẽteſimo quadrageſimo quinto, à nemine poſſideri, nec minus legi Teſtamentum nouum eiuſdem, quod quidem refertum eſt tot erroribus, vt commodè emendari aut deleri non poſſint. Cæterùm vetus Teſtamentum eiuſdem Bibliæ cum ſuis ſcholiis permittitur haberi & legi, idq; emendatum iuxta normam Cenſuræ, & abſque ipſo Teſtamento nouo, & non aliàs. Præterea volumus & iubemus, quòd de cætero nullus Bibliopola, neque alius quiſpiam præſumat inuehere in præfata regna & dominia, vbi nos Inquiſitoris generalis munere fungimur, Biblias vel Teſtamenta noua dictarum excuſionum improbatarum, vel aliarum quæ in ſe contineant aliquot errores, etiam ſi ipſi iidem errores ſint deleti, & obliterati iuxta formam Cenſuræ, alioquin pœnis ſubiacere ſe ſciant, quas paulò poſt hic conſtituemus.

Vt autem omnibus conſtet quæ Bibliæ & Teſtamenta noua ſint ex recèns importatis in ipſa regna & dominia, contra noſtrum decretum, volumus ut in omnibus Bibliis & Teſtamentis nouis, poſt deletos & obliteratos errores, addantur in fine vel in principio ipſorum librorum, acta publica, teſtantia quo die, menſe, & anno emendatus & redditus fuerit eiuſmodi codex, quæ quidem acta ſubſcribat Inquiſitor, vel eius Commiſſarius ad id deputatus, & Notarius coràm quo res agetur, vel quiuis ex dictis Epiſcopis aut Vicariis generalibus

neralibus ipſius diœceſeos, vbi ipſe extiterit, cum Notario: quod fieri debeat in qualibet diœceſi, & Epiſcopatu infra ſexaginta dies poſt promulgatas has noſtras literas & edictum, ut dictum eſt. Quæ autem Biblia uel Teſtamentum nouum ex prohibitis apud aliquem reperientur elapſo termino præfato, quæ non ſint eodem modo conſignata, exiſtimentur ex recens importatis in præfata regna & dominia, ſubeantq; domini eandem pœnam quam per has literas illis conſtituimus, qui ſimiles libros in hæc regna inuexerint; utique in eos, & eorum bona infligendam.

Decernimus autem & ſtatuimus, vt quiſquis ſit, quocunq; ſtatu, gradu, ordine, & conditione, quacunque dignitate præfulgeat, apud quem inuenta fuerint aliqua aut Bibliorum, aut noui Teſtamenti volumina, in quibus prædicti errores deleti, aut obliterati non habeantur, aut non ſint ſublatæ ſummæ, & indices, quos tolli iuſſimus, aut denique ea reiecta non fuerint, quæ reſecanda amputandaq; decreuimus, poſt elapſos ſexaginta dies à publicatis noſtris literis, quos iuxta iuris formam & ordinem, per uicenos, ac uicenos, & ultimum pro tertio, ac poſtremò, legitima & conſueta canonica præmiſſa admonitione aſſignamus, is inquam quiſquis fuerit in maiorem excommunicationem latæ ſententiæ eo ipſo quòd contra fecerit, incurrat, atque inſuper in eum procedatur tanquam de hæreſi ſuſpectũ, & præter amiſſionem librorum, quos ita retinuerit

n 18

rit deprauatos, mulctetur pœna viginti ducatorum, quorum tertia pars cedat denuncianti, tertia huius ſacri officii ſumptibus, reliqua verò tertia iudici, qui de ea re ſententiam tulerit. Eandem etiam pœnam irrogari mandamus Bibliopolis, aut aliis quicunque poſt hanc noſtram prohibitionem prædictas Biblias, aut nouum Teſtamentum importauerint in dicta regna, & dominia curæ noſtræ commiſſa, quamuis iidem errores (vt ſupra diximus) in illis obliterati ſint, aut boliti.

Item præcipimus, vt is cui curæ fuerit corrupta illa loca delere, aut obliterare, adderéq;, inſuper acta codicibus, & ſubſcribere: pro ſua & Notarii opera in ſingulas Biblias, tantùm accipiat dimidium argenteum, pro ſingulis autem nouis Teſtamentis, octo dipondia, ideſt, quartam partem vnius argentei, monetæ regnorum Caſtellæ.

Ad hæc volumus & iubemus, vt Typographus, aut Bibliopola qui vendiderit ipſam Cenſuram, non pluris uendat quadraginta marapetinis regia ſanctione taxatis, pœna uiginti ducatorum, ſumptibus ſancti officii applicanda, pro qualibet Cenſura ultra pretium taxatum uendita.

Vt autem uniuerſa hæc & ſingula à nemine ignorari poſſint, ſed omnibus nota & manifeſta ſint: præcipimus & mandamus reuerendis Inquiſitoribus, tam huius oppidi Valleſoleti, quàm aliorum quæcũque dictis regnis & dominiis claudũtur, ut hoc noſtrum decretum, & Cenſuram

B publicari

publicari quiſque faciat in uniuerſis officii ſui locis, præſertim in eccleſiis cathedralibus, & aliis eccleſiis & monaſteriis, in ſuggeſtibus, per uerbi dei concionatores, academiis, & publicis Bibliothecis, & quoties eadem loca uiſitauerint, edicto ſuo mulctam ac pœnam indicant, omnibus & ſingulis qui prædictas Biblias aut noua Teſtamenta ſuppreſerint, occultauerīt, aut quoquo modo habuerint. Similiter & iis, qui utcunque ſciuerint eadē ſupprimi, occultari, aut quoquomodo haberi apud aliquem priuatum hominē, aut in eccleſiis, monaſteriis, collegiis, academiis, aut denique alio loco & non ſimul rem cognitam ad eoſdem Inquiſitores detulerint, quos pœnis & Cenſuris quibus magis uiſum fuerit expedire, admoneant & adſtringant, & uniuerſos puniant, qui aliquomodo aut ratione redarguentur deliquiſſe, pœnas conſtitutas ab eiſdem ſeueriſſimè exigentes. In cuius fidei teſtimonium præſentes literas manu noſtra ſubſcriptas, & per Secretariū ſanctæ generalis Inquiſitionis conſilii referendatas, concedimus. Dat. in oppido Valleſoleti, die. xx. menſis Auguſti, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo quarto.

F. Hiſpalen.

De mandato Illuſtriſſimi Domini mei Archiepiſcopi.

Petrus de Tapia.

R 14

PRAEFATIO
IN CENSVRAM.

VIx dici queat, quanto diſcrimine Chriſtianæ religionis, & Catholicorum omnium, hæretici noſtrorum temporum hoc malum machinentur, ut & ſua falſa dogmata per uniuerſas Chriſtiani orbis prouincias diſſeminent:& pro ſacra ſcriptura uenditent, atque haberi contendant. Nam eò ueſaniæ progreſſi ſunt, ut non ſolùm auſi fuerint peſtifero multarum hæreſum ueneno omnia inficere: ſed nec uereantur noua nunc reperta techna uſque adeo ſacram ſcripturam deprauare, tantamq; illi uim inferre, ut iam ipſas ſacras literas loqui cogant quod illi uolunt, & quicquid impietatis commenti ſunt. Vt quemadmodum imperitam plebem permiſſa uiuendi licentia & impunitate, à uera fide alienarunt, ita nunc aduerſus eruditiores grauiorem pugnam meditentur, dum ſua dogmata per annotationes, ſummaria, & titulos ſacro textui adſcribentes, conantur oſtendere, aut eadem omnino eſſe cum diuinis, aut manifeſtè ab ipſis eruta atque deſumpta: utentes nimirum eorum fraude, qui, cum clam uenenum alicui præbere cupiunt, mulſo temperare ſolét: ut prius occulta eius ui intercipiatur, quàm dolum intel-

266

ligat. Ad hunc modum uidentur hi diuina eloquia eo animo perluſtraſſe, ut inde excerperent quicquid erroris ſui ſpeciem aliquam præſeferret: atque ita lector ſenſim primò ex ſacris literis ea loca accepta concipiat, deinde hauſto ueneno, in eorum prauam ſententiam præceps feratur. Verùm Chriſtus, qui pollicitus eſt ſe numquam Eccleſiæ ſuæ defuturum, eorum impios conatus fregit, ac diſſipauit conſilia: cum in hac temporum calamitate præfecit terris inuictiſſimum Imperatorem CAROLVM Quintum, unicum ac ſingulare Eccleſiæ præſidium, diuinitus ad hæc ſæcula reſeruatum. Vt quando ille arcano quodam conſilio permittit Eccleſiam ſuam nouarum ſemper hæreſum fluctibus uexari, qui Petri nauiculæ naufragium minentur, contra paratum habeat miniſtrum, per quem ſigna ſua edat, & in brachio excelſo ad ingentem nominis ſui gloriam, ſuperborum potentiam comminuat. Oportuit autem ut, ſicut ab Arriana peſte, nullá magis infeſtauit Eccleſiam, quàm hæreſis noſtra ætate partim exorta, partim nunc denuo ab inferis reuocata: ita defenſorem exhiberet multo potentiorem, quàm ad alias ſuperiorum temporum, more egregii medici, qui pro morbi grauitate, medicamentum adhibet. Iam nulla hac peſtis ſæuior extitit, ſiue uiolentia & armis, ſiue numero profitētium, ſiue ementita eruditione: ut ad tantam impietatem cum ui magna coniunctam, patrono opus eſſet potentia & pietate præſtanti. Vt altera, eorū̃

motus

215

motus compeſceret, altera ſuperaret: dum eos non tam armis proſternit, quàm, quibus illi ſe maximè iactant, literis & ſapientia. Nam diſputatione potius & coacto patrum Concilio eos domare ſtudet: & inter alias excelſi pectoris ſui curas, hoc etiam cauet ſolicitè, ne qua illi aut libris apertè noxiis, aut aliqua ex parte ſuſpectis, veræ fidei cultoribus noceant: iubens in eos curioſè inquiri, & ſeuerè in legentes animaduerti. Nec dubium quin, niſi talis propugnator Eccleſiæ contigiſſet, vt potens, ita pius, eximia in Chriſti fidem charitate & zelo accenſus, religioſus auorum ſanctimoniæ imitator, vnicus veritatis Euangelicæ, Eccleſiáſticæq; immunitatis vindex & aſſertor, illam ingentem cladem accepiſſet: nec vnquam aliàs maiorem feciſſet iacturam. Eam etiam pari ſtudio ac diligentia prohibet inclytus Hiſpaniarum Princeps PHILIPPVS patre & maioribus digniſſimus: qui & ſingulari pietate, qua ſacra omnia fouet, & fauore, quo literarum ſtudia ac ſtudioſos amplectitur, hanc & literariam & piam curam minimè neglexit: ſed maxima quadam ſolicitudine præſentiſſimum remedium tanto malo per uiros induſtrios quàm primùm afferri mandauit, & adhuc crebrò inſtat: paratus nimirum & ipſe ad ſuccurrendum labenti religioni inuicto animi ſui robore & conſtantia, ac quibus plurimum etiam poteſt conſilio & armis. Quibus rebus tale hactenus generoſi animi ſpecimẽ præbuit: vt nec fœlicitate, nec gloria rerum geſtarum,

rum, nec aliarum diuinarum virtutum magnitudine maioribus ſuis vlla ex parte, inferiorem futurum arbitremur. His cuſtodibus Eccleſiam tutam fore, ac tantis ducibus aduerſariorum impetus repreſſuram proculdubio ſperamus: tametſi Deus lento gradu ad vindictam procedat, qui iuxta modum prouidentiæ ſuæ, omnia vult diſponi, fortiter quidem, ſed ſuaui progreſſu, & ignoto mortalibus conſilio. Nec minus Deum Eccleſiæ ſuæ prouidiſſe res ipſa teſtatur, cum per pios, bello & pace clariſſimos ac verè catholicos Hiſpaniarum Reges FERNANDVM & Eliſabeth ſacrũ Inquiſitorum ordinem & officium cum ſumma potentia & auctoritate inſtitui voluit, ad quos omnium rerum ad Chriſtianam fidem pertinentium indagatio, & ſupremum iudicium deferrentur. Qui vt in aliis, ita etiam in præſenti periculo, qua fuit opus vigilantia & dexteritate, magnam illi opem attulerunt. Niſi enim huius ſancti officii ſeueritas effrenes animos coercuiſſet, & exacta diligentia (quæ nunquam in re tanta nimia eſſe poteſt) tam impiis conatibus occurriſſet (vt hominum ingenia ſemper rerum nouitate oblectãtur) fortaſſe intra domeſticos lares & Hiſpaniæ uiſcera, eadem mala haberemus. Quare huic ſacro Inquiſitorum ordini & miniſterio debetur, quòd in tanta gentium & nationum perturbatione, ferè una Hiſpania, quantum uix unquam, uera ac pura religione fruatur: dum præter cætera ſtudioſè curant, ne hæreticorum errores aut manifeſtis au

ctoribus,

ctoribus, aut prætextu ſacræ ſcripturæ irrepentes, incautos fallant. Quæ cauſa hunc noſtrum Senatū (cui præcipuè ſacræ Inquiſitionis adminiſtratio commiſſa eſt) ad hanc curam mouit, inueſtigandi ſcilicet loca, quæcunque hæretici labe aliqua reſperſerunt: ac ſingula digna Cenſuræ nota inurendi: ut ea ueluti antidoto quodam contra mortiferum illorum uenenum lectores utantur. Hac itaque mente nos publicæ omnium utilitati proſpicientes, hunc laborem ſuſcepimus: adhibito inſuper ad hoc multorum doctiſſimorum & religioſorum uirorum conſilio, preſertim facultatis Theologiæ, ſcholæ Complutenſis: quæ maximum in hoc opere pro nobis atque adeo pro tota Eccleſia ſubiit laborem. Igitur uiſis & non exigua cura & ſtudio examinatis omnibus Bibliis, textu præſertim ad uerbum accuratè expenſo, ea deſumpſimus, quæ digna caſtigatione nobis uiſa ſunt, & unicuique calculum noſtrum adiecimus. Ad quem antequam ueniamus, pauca quædam nos præfari oportuit, ut Cenſuræ noſtræ ratio intelligatur & modus. Principiò in textu uulgatæ editionis nihil notauimus: tametſi pleræque Bibliæ uariēt & inter ſe, & à Græcis exemplaribus. Tum quia eadem uarietas reperitur in codicibus iam olim excuſis: tum quia præter argumentum feciſſemus. Neque enim noſtrum inſtitutum eſt, docere quæ lectio ſit uerior, uel quæ Græcæ aut Hebraicæ ueritati magis conſentanea, ſed an hæretici in eis aliqua loca corruperint. Quod cum in textu

textu ab illis minimè factum ſit, conſultò prætermiſimus. Idem ſeruauimus in Bibliis, quæ nouam habent tranſlationem ad ueritatem Græcam & Hæbraicam: quæ non ſolùm uerbis diſcrepant à uulgata, ſed ſæpiſſimè etiam ſenſu, intacta relinquentes: quòd in his magis periclitetur fides interpretis, quàm Sacræ ſcripturæ. Nam cùm illa fœcunda ſit ſenſibus, ſine vllo periculo poteſt hunc & illum admittere. Quòd ſi uerior non eſt redditus: auctor potius mali interpretis functus erit officio, quàm errantis in fide. Propterea ex his nihil attigimus: niſi unum aut alterum locū, quæ fœliciori ſæculo prætermitti quoque potuiſſent. Quale eſt Pœnitentiam ferè ſemper uerti in reſipiſcentiam: & pœnitere in reſipiſcere. Non quòd ignoremus, idem valere vtrumque apud probatos auctores: ſed quòd intelligamus iſtos tollere omnem dolorem ante actæ uitæ & ſtatuere iuſtificari hominem ſola mutatione uitæ per fidem ſine ullo aut corporis, aut animi cruciatu ob admiſſa peccata, idq; affirment Græcè eſſe, τὴν μετάνοιαν, cui potius reſpondeat reſipiſcentia, quā pœnitentia. Quia igitur interpretes illi, quicunque tandem ſint, ad hunc errorem uidentur declinaſſe, tam coſtanter, ubi noſtra uerſio habet pænitentiam, reſipiſcentiam uertentes, uiſum eſt admonere lectorem, ne illud uerbum in ſenſu hæreticorum accipiant; ſed ut ſumitur ab Eccleſia Catholica, & à uiris grauiſſimis, uerborumq; elegantia præſtantibus, qui & ea uoce ita utuntur

tur

tur & μετάνοιαν, in pœnitentiam vertunt. Deinde illud nobis præfandum eſt, ne quis miretur, ſi uiderit multa loca à nobis animaduerti, quæ ex ſerie literæ uidentur deducta. Nam nos non tam uerba perſecuti ſumus, quàm mentem illorum, qui notas in marginibus appoſuerunt: aut rerum capita in titulos, ſiue ſummaria capitulorum reduxerunt: aut denique annotationibus aliquot locos interpretati ſunt. Nec enim latere poteſt eorum uerſutia. Nam cum ex quocunq; textu ſacræ paginæ multa præclara colligi potuiſſent, quæ ibi tractantur: in nonnullis Bibliis quaſi ex profeſſo ea tantùm loca adſcribunt, quæ utcunque ad ſouendos illorum errores uidentur agere. Aut ſi qui ſunt, qui omnia colligant in textu contenta, multa paſſim ueris falſa intermiſcent: idq; uel additis uerbis, uel detractis: ut nemo ſit tam ignarus, qui non intelligat ea malitioſè fuiſſe annotata. Quare cùm nos uideamus illa paſſim citari ab hæreticis in alicuius ſuorum errorum confirmationem, meritò ſuſpicati ſumus ab hominibus parum integræ fidei eſſe conſcripta, Præſertim cum adiungant aliqua falſa & erronea ex operibus hæreticorũ deſumpta, quæ nec textui conueniunt, cui apponuntur: nec aptè ibi collocari potuerunt. Quæ omnia non tam augent ſuſpicionem, quàm opinionem noſtram confirmant. Idcirco coacti ſumus quædam notare, quæ in ſacris libris contineri uidentur, quòd ab illis ad impium ſenſum detorqueãtur:

C tur:

tur: ut ſciat lector quid uitare debeat.

Exemplum eſſe poteſt de his, Fides iuſtificat, ſiue iuſtificamur ex fide. Habraham ex fide iuſtus: & ſimilibus. Nam quis neget iuſtificari hominem ex fide, cùm Paulus prædicet? Verùm illi de ſola fide exponentes, ſecluſis operibus, hæreticam propoſitionem reddiderunt. Iam cùm Paulus ibi loquatur de operibus legis, quam ita fidei opponit, ut ſatis conſtet, eum loqui de operibus ueteris legis, uel ante fidem ſuſceptis, uel ſine fide Chriſti factis: in quibus etiam tunc Iudæi gloriabantur, & totam ſalutis ſuæ ſpem collocabant: id quod non uno in loco declarat: quis non uideat perperam detractam eam uocem, & dictum ſimpliciter, Fides iuſtificat non opera? Cur non additum eſt, opera legis ueteris, aut fide Chriſti deſtituta, ut Paulus aut exprimit, aut intelligit? An non eſt hæc apertè malicia? Simile eſt illud, Non in manufactis templis habitat Deus. quæ fuit vox primùm Stephani, deinde Pauli ad Athenienſes: uerùm uerſutè coacta ad ſubuertendas aras, templa, & ſacra. Item idolorum ſtatuas lex uetus præcipiebat demoliri ac deum tantùm colere. Quid hoc in lege noua ad tollendas imagines? Cacodæmonum ſimulacra euertenda: ergo ſanctorum imagines? Iam gens illa prona erat ad idolatriam: cuncta pro Deo colebat more Aegyptiorum. Quid hoc ad cultum ſanctorum negandum, quos Eccleſia multo aliter iubet venerari? Quaſi uerò idem

ſint

ſint ſanctorum imagines & idola, idem coli quod adorari; quod uel cogitare impium eſt. Ad hunc modum de multis aliis dicendum.

Quam ob rem ea fuit Cenſuræ noſtræ ratio, ut non ſolũ hæretica damnemus, ſed admoneamus, multa uerè catholica trahi ab hæreticis in prauũ ſenſum: ne quis in illum incidat: ſed cum Eccle ſia ſemper ſentiat, & loquatur. Porrò non dubitamus, futuros quàm plurimos, qui non fuiſſent intellecturi illorum mentem aut impoſturã: ſed commodius nobis uiſum eſt, rationem habere eorum qui labi poſſent non admoniti: ne aut cum illis per incuriam errent, aut putent, locum in aliquo ſenſu vero à nobis damnari. Propterea opus fuit errores illorum referre: quãuis præſtitiſſet, ab omnibus ſemper ignorari. Ad hæc lectorem admonitum uolumus, noſtras caſtigationes tam paucis à nobis fuiſſe perſtrictas, ne in ingens uolumen excreſcerent, quod neceſſe erat, ſi aut Theologico more errores cõfutare, aut uerum cuiuſque loci ſenſum ſtabilire uoluiſſemus. Compendio enim ſcribi hæc non poterãt, ubi uel ſolus numerus iuſtum ferè uolumen facit. Deinde quòd non ſit præſentis negotii ſacras literas exponere: ſed aliena, à uera fide diſſidentia, cenſorio mucrone iugulare. Non enim doctorum, ſed admonitorum aut potius Cenſorum officio fungimur. Poſtremò quoniam tot uiri doctiſſimi multis libris editis, ſatis copioſè in hoc argumento uerſati ſunt: unde plura petere

C 2 poſſit,

poſſit, qui uolet. Qui cum in reuincendis hære ticis in his eiſdem tam fœliciter deſudauerint, nō ſolùm laborem noſtrum ſuperuacaneum, ſi pro lixius ſcriberemus, ſed ingratum quoque fuiſſe futurum arbitramur. Quoniam autem in omni bus Bibliorum ſiue ſcholiis, ſiue titulis & marginibus, quædam adeo frequenter repetuntur aut ſub eiſdem uerbis, aut parum mutatis, ut in finiti eſſet operis omnia loca recenſere, nec fieri poſſet ſine magno faſtidio; neceſſarium etiam duximus, condere generales quoſdam canones ſeu regulas, quibus quàm poſſemus ſuccinctè ea omnia comprehenderentur. Vt ſciat lector ubicunque inuenerit id, quod à nobis ſemel ob ſeruatum eſt, aut quid ſimile, eo gradu notationis eſſe habendum. Inſigniores verò locos tantùm in his regulis attigimus, cum alioqui ſolenne ſit iſtis pleroſque errores uariis dicendi modis proferre, vt palàm fiet legentibus Cenſuram, quemadmodum de iuſtificatione dictum eſt, cuius & ſalutis noſtræ crebra fit mentio apud iſtos, ut totam tribuant fidei, nullum locum relinquētes operibus. Vt cum dicunt, iuſtus ex fide, iuſtitia noſtra fides: Viuere ex fide; Sancti ſunt, qui Deo fidunt. Quæ omnes propoſitiones, & ſi quæ aliæ huiuſmodi reperiantur, pro eadem haberi debent atque cenſeri. Idem dicendum de ſatisfactione noſtra, quam totam aſcribunt paſſioni Chriſti: nihil humanis meritis. Id nonnunquam apertè enunciant, vt, Sola ſatisfactio

pro

pro peccatis Chriſtus: Sola hoſtia pro peccatis Chriſtus: Satisfactio noſtra Chriſtus, & ſimiles. Nonnunquam obſcurius, ſed ita ut nemo non intelligat prauum eorũ animum. Vt cum dicunt, Vni Deo cuncta adſcribenda: Deus vult omnia ſibi tribui: Omnia à Deo. & aliæ huiuſmodi, quæ catholicæ ſunt in eam ſententiam, in quam traduntur à ſacris doctoribus. Sed cùm iſti per eas uideantur tribuere Deo totam iuſtitiam noſtram & ſatisfactionem, aut quòd omnia ſiue bona, ſiue mala, ſint à Deo, & nihil à nobis, aut quid ſimile (nã eadem uia multos aſtruunt errores) eo quidẽ ſenſu falſæ ſunt & impiæ. Modeſtus enim loquendi modus ſanctorũ, in errorem trahi non debet, ut negetur aut arbitrii libertas, aut neceſſitas operum, quas illi totis libris docuerunt. Quis uerò neget, omnia bona à Deo procedere & illi eſſe tribuenda, cùm hoc ipſum, quod poſſumus boni agere, diuinæ benignitatis & gratiæ ſit? At inde colligere nos nihil poſſe, fatuum omnino eſt: neque in hoc ſenſu illa, aut à ſacris ſcriptoribus, aut à doctoribus ſanctis dicuntur. Nam quis ignorat, propoſitionem eandem ſeorſum poſitam, in multos ſenſus deduci poſſe, & aliquem admittere ex ui uerborum nimis abhorrentem à ſenſu ſcripturæ, qui ex tota ſerie textus, conſtat? Quod his peculiare eſt, quoties aliquid reperiunt, quod alicunde ad confirmanda ſua dogmata trahi poſſit, licet textui repugnet. Quare iure optimo huiuſmodi propoſitiones à nobis notatæ

notatæ ſunt: ne in hæreticum illorum ſenſum accipiantur. Tot autem ſunt modi uariandi hũc errorem, ut magis generali canone quàm particulari comprehendere liceat. Eiuſmodi eſt illud ab ipſis uariè repetitum, cùm dicunt reperiri in ſacris literis, quòd iuſtificamur ex fide: non autem quòd iuſtificamur ex operibus: non ergo opera neceſſaria ſunt ad iuſtificationem. Quoniã hoc eſt celebre illorum argumentum in pleriſq; erroribus ſuis, hoc ita reperitur expreſſum in ſacris literis, hoc ergo tantùm, & nihil aliud tenendum eſt. Quaſi uerò (ut taceamus de beato Iacobo, cuius auctoritatem illi eleuare conantur, qui toties affirmat iuſtificari hominem ex operibus) illud Pauli, Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur, non ſatis expreſsè neceſſitatem operum ad iuſtificationem contineant, quãuis ſub ea forma uerborum non dicatur, quam iſti exigunt: aut quaſi ſacræ literæ doceant, ſub ea tantùm forma, ac non plura colligantur ex ipſa ſerie & contextu rerum præcedentium & ſequentium, quæ æquè expreſſa dici poſſint. Ad eundem modum eliciunt, tantùm petendum in nomine Chriſti, quia diuina eloquia non docent, ut ipſi exiſtimant, petendum in nomine aliorum. Ex hoc fonte in multos errores prolabuntur: ut cũ dicunt, Verbo Dei adhærendum, inde conficiunt, Tantùm uerbo Dei adhærendum, non faciendum quod præcipit humana lex, ſiue Ec-

clеſia.

cleſia. Ob idq; ſæpius exaggerant uerbum Dei, ut innuant, hoc ſolum nobis ſequendum, non præcepta hominum. Idq; uariis modis efferunt: quos ita oportet intelligere, ne leges humanæ excludantur.

Iam fides pro fiducia paſſim uſurpatur: reſipiſcentia, pro pœnitentia, ut ſuperius diximus, ita perpetuò ut plerunque ubi textus habet pœnitentiam, mutent in reſipiſcentiam: qui abuſus uocis tam frequens eſt, ut moleſtiſſimum fuiſſet loca omnia tranſcribere. Quo circa generali canone opus fuit, ut ſemper cautè legatur: utque etiam moneamus non improbari à nobis reſipiſcentiæ uocabulum, ſed declarari, qua ſignificatione ſit accipiendum. Idem dicendum de fide: non.n.negamus includere fiduciam, ſed eſſe eam tantum, ut illi uolunt. Ad hæc ubicunque textus Scripturæ agit de charitate, iuſtitia, bonis operibus, quòd adhærendum ſit Deo, quòd ille ſequendus, & ſimilibus, iſti interpretantur de fide: ut facile eſt uidere cuicunque legenti: ac ſi idem eſſet fides, quod iuſtitia, idem quod charitas, aut quòd nulla alia bona opera Deus à nobis requirat præter fidē: nec quòd aliter ſit Deo adhærendū niſi per fidem. Ita omnia quæ Deus à nobis poſtulat in ſcripturis, annotant, intelligenda de fide: etiam loca ubi de fide nulla mentio eſt. Quare oportet unumquenque aduertere eorum calliditatem, ne exiſtimet ita eſſe in textu, ut iſti referunt & colligere ſe fingunt. Nam alia,

quæ

quæ nihil attinent ad ſuos errores, bona fide adſcribunt: hæc uerò miſcent, ut ita incauto lectori imponant.

Præterea notandum, ſæpiſſimè reperiri tam in gloſſulis quàm in marginibus, & ſummariis, iuſtos appellari fideles, iniuſtos autem, infideles: & ita ferè ſemper, ubi textus habet iuſtum, ſiue iniuſtum, uertere fidelem, & infidelem. Perinde atque idem ſit fidelis & iuſtus, idem infidelis quod iniuſtus: neque iniuſtus quiſquam eſſe poſſit, quin ſtatim ſit infidelis, & amittat fidem: quæ proculdubio manifeſta eſt hæreſis, nimirum quòd peccatores careant fide. Obuia autẽ erunt legenti innumera loca, ubi hic error ſæpè iteratur: Sed præſertim in Pſalmis in pleriſque Bibliis excuſis ſub magna forma, ubi, quoties in textu habetur iuſtus aut impius, iſti annotantes uertunt, fideles & infideles. Quia ergo uix numero comprehendi poterant, omiſſa in Cenſura, ad hunc generalem canonem reſeruata ſunt.

Porrò ſciendum multa eſſe in iſtorum annotationibus ſuper uetus Teſtamentum, quæ ut in eo quidem loco & ſenſu literali uera ſunt, tranſlata autem ad legem nouam & moralem ſenſum, ſunt manifeſti errores. Vbi non damnantur propoſitiones illhic poſitæ, ſed mala mens detorquentium illas, ad longè alium ſenſum quàm habeant in locis unde deducuntur. Vt quod notant Ioſue capit. XXI. Vt ſoli Deo fidant, &

Micheæ

Micheæ. VII. in ſolo Deo confidendum. Hiere. XVII. confidendum ſoli Deo. Eſa. XXXI. Iraſcitur Deus ſi præter ipſum humano conſilio innitamur. Nam quod Deus illhic præcipit, Victoriam non eſſe tribuendam uiribus humanis, non collectis militum copiis, aut ingenti bellatorum numero, ſed diuinæ potentiæ & auxilio, iſti more ſuo ad longè diuerſum ſenſum impellunt, maximeq; alienum à literali, unde deducunt. Nempe ut his perſuadeant, minimè ſanctis eſſe confidendum, neque ab illis auxilium ſperandum ad rectè agendum, ſiue aliquid à Deo impetrandum; ac proinde non eſſe inuocandos, nullas ad eos fundendas preces; deniq; totam illam colluuiem errorum, quos ea de re aduerſus ſanctos congerunt. Neque id uno tantùm modo enunciant, ſed uariis; ut cætera. Vt quod notant in capit. VII. Iud. Deus uolens omnia ſibi ſoli tribui, iubet bellatorum numerum minui: nam id ad eundem errorem ſpectat, hoc eſt nihil aliis tribuendum, niſi ſoli Deo. Ad illum etiam, quòd omnia ſiue bona, ſiue mala à Deo ſint: nihil à nobis, neque à libero arbitrio: & ad alios impios ſenſus ut ſuperius retulimus.

Præter hæc omnia ſciendum, in hac Cenſura ſignari in ſingulis quibuſque locis librum & caput vbi error eſt animaduerſus: non autem ſignari peculiarem partem textus, cui is error applicetur, Primùm quia extra cauſam omnino eſſet, nec enim dicere inſtituimus, rectè'ne iſti,

D an

an ſecus ſuas quibuſque locis ſummas accommodent, ſed notare quicquid à fide catholica deuiat, quocunque loco aut cuiuſcunque rei gratia dicatur. Deinde quia (& ſi id fieri alicubi facilè foret) in pleriſque tamen locis per quàm arduum fuiſſet, & moleſtum. Nam quædam apponuntur ſuper partem textus ita magnam, ut longum eſſet tranſcribere. Iam uerò, quæ ſunt in titulis & ſummariis capitulorum, adeo in pleriſque confuſa ſunt, ut uix quiſquam diuinare queat, ad quam partem textus referri uoluerint. Quod igitur in omnibus ſeruari non potuit, omittendum duximus, relinquetes id iudicio lectoris.

In omnibus autem Bibliis in hac Cenſura caſtigatis præſertim excuſis ſub magna ac mediocri forma, ſtatim in principio, ſummæ quædam generales continentur, oſtendentes, quid in ſingulis ſacrorum Bibliorum libris doceamur: quæ quia erroribus variis corruptæ ſunt, ideo omnes prorſus tolli, ac deleri ex his ipſis Bibliis decreuimus. Idem cenſemus faciendum de elenchis, ſeu indicibus qui in eiſdem Bibliis adduntur, proptcrea quòd multo pluribus & grauioribus erroribus ſcateant.

Quanquam autem potuiſſemus vnius cuiuſuis Bibliæ errores ſeorſum colligere, deſignantes illam quo prælo, Typographo, atque anno excuſa ſit, tamen compendii cauſa, ne hoc opus plus iuſto excreſceret, conſultius putauimus, ſi omnes omnium Bibliarum errores una Cenſura

com-

comprehenderentur: atque in fine recenſerentur, quæ à nobis reuiſæ ſunt & cognitæ; addito Typographi nomine, impreſſionis, & anno quo impreſſæ ſunt, ut ſiue in his, ſiue in aliis quibuſcunque, hos alios've ſimiles errores deprehenderit, ſciat lector eadem nota feriendos eſſe.

Poſtremò illud aduertendum eſt, iſtos non ſolùm auſos fuiſſe, tot errorum maculis ſacram ſcripturam deturpare, ſed neque ueritos ſacrilego etiam ore libros, quos iam olim pro canonicis Eccleſia habet, reſecare è canone ſanctarum ſcripturarum & apocryphos aſſerere, quod in multis Bibliis in hac Cenſura contentis nunc in marginibus, nunc in titulis impudenter faciunt. Vt quoniam illos apertè vident agere ad planè confutandam ipſorum impietatem, & nefanda dogmata, eorum auctoritatibus noſtros vſos, hac arte eludant: cum aliter nequeant tam manifeſtis teſtimoniis repugnare. Quare ea in re cautum lectorem eſſe oportet, ne cum illis erret, ſed eos omnes pro canonicis habeat, quos Eccleſia catholica cum iam olim in multis Conciliis, tum nouiſſimè in hoc Tridentino, inter libros canonicos habet & numerat.

EXEMPLARIA BIBLIORVM DIVERSIS A TYPOGRAPHIS EXCVSA, QVAE INDIGENT CASTIGATIONE ET CENSVRA, SVNT QVAE SVBSEQVVNTVR.

IMPRESSA Antuerpiæ, per Martinum Cæſarem, Anno M D XXXII. & XXXIIII.
Antuerpiæ, in officina Ioannis Sthelſii, Anno XLI. & XLII.
Biblia cuius Titulus eſt, excudendum curabat Antonius Goinus. XL.
Antuerpiæ, per Iacobum Liſuelt. XLII.
Antuerpiæ, per Ioannem Theobaldum. XXVII.
Antuerpiæ, per Ioannem Sthelſium. XXXVIII.
Antuerpiæ, per Guillelmũ Vorteſman. XXVIII. & XXXIIII. & XLIIII. & XLV.
Antuerpiæ, per Henricum Perčterſem. XLI.
Antuerpiæ, per Antonium de Lahide. XLI.
Biblia Græca, Argentorati, apud Huuoluium Cephalium in mediocri forma. XXVI.
Baſileæ, ex officina Frobeniana. XXX.
Baſileæ, per Frobenium. XXXVIII.
Baſileæ, apud Nicolaum Brilingerum. XLIIII.
Baſileæ, cum annotationibus Sebaſtiani Munſteri, Anno XXXV.
Bibliæ ſub maxima forma, inquibus non deſi-

gnatur forma impreſſionis, aut impreſſoris.
Biblia, quæ ſic habet. Excudebat Franciſcus Griphius XLI. & XLII.
In mediocri forma, ſine nomine loci ĩpreſſionis.
Lugduni, in ædibus Vincentii de Portonariis. XXXVI.
Lugduni, ſub inſigni Salamandræ, Anno M D XLV.
Lugduni, apud Iacobum Giuntam. XXXVI. & XLVI.
Lugduni, apud hæredes Iocobi Giuntæ, in forma mediocri. XLIX. & LI.
Lugduni, apud Iacobum Giuntam in mediocri forma, Anno XXXV. & XLII. & XLVI.
Lugduni, ſub inſigni ſphæræ apud Egidium, & Huguetam fratres. XL.
Lugduni, per Guillelmum Boule. XXXVII.
Lugduni, per Guillelmum Boule, in mediocri forma, Anno XLII.
Lugduni, per Scipionem de Gauiano. XXXVI.
Lugduni, apud Hugonem à porta, in mediocri forma, Anno XLII.
Lugduni, apud Hugonem à porta. XXXVIII. XLIIII. & XLVI.
Lugduni, apud Hugonem & hæredes Æmonis à porta. XLIIII.
Lugduni, per Iacobum de Millis in mediocri forma, Anno LI.
Lugduni, ex officina Melchioris & Gaſparis Trechel in mediocri forma, Anno XXXII.

Lugduni,

Lugduni, ſine nomine impreſſoris in mediocri forma, Anno XL.
Lugduni, in ædibus Antonii Vincentii, in medio cri forma. XL.
Lugduni, ex officina Ioannis Mariſcal, in medio-cri forma. XXXI.
Lugduni, apud Theobaldum Paganum, in me-diocri forma, Anno XLII.
Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium, in mini ma forma, Anno M. D. XLII.
Lugduni, apud Antonium Vincentium, in mini-ma forma. XLII.
Lugduni, apud Ioannem Mariſcal. XXXII.
Lugduni, ſine nomine impreſſoris, quæ in fine ſic habet, Biblia qua hactenus Vtitur Eccle-ſia Latina. XXXVI. & XLI.
Lugduni, per relictam Ioannis Criſpin. XLVI.
Lugduni, apud Iacobum Grozet. XLVI.
Lugduni, per Franciſcum Gryphium. XLII.
Lugduni, apud Ioannem Iuntam. XLVI.
Lugduni, per Henrichum Sabore. XXXVI.
Lugduni, in ædibus Antonii Vincentii. XL.
Pariſiis, in officina Petri Regnault. xl. & xli.
Pariſiis, per eundē, ſub Scuto Colonienſi. xliii.
Pariſiis, apud Robertum Stephanum, cum duplici tranſlatione & gloſſis, in mediocri forma. xlv.
Pariſiis, ex officina eiuſdem Roberti Stephani è regione ſcholæ decretorum. xxviii.
Pariſiis, per eundem. xl. & xlvi.

Pariſiis,

Pariſiis, in officiua Simonis Colinæi pro Galeoto à prato, menſe Octobri. XLI.

Pariſiis, apud Ceratum Guilliardum. XLIX.

Pariſiis, per Franciſcum Gryphium. XLI. &. XLII.

Tiguri, apud Chriſtophorum Froſcouerum, in mediocri forma. XXXIX.

Venetiis, in taberna libraria diui Bernardini, in mediocri forma. XXXVIII.

Venetiis, ad ſignum Spei, in mediocri forma. XLIIII.

Venetiis, apud Petrum Ithechem & Maguſtinum. XLII.

CENSVRA GENERALIS CONTRA OMNES ERRORES, QVI IN BIBLIIS PER HÆRETICOS DEPRAVATIS, REPERIVNTVR.

Geneſ. Cap. 15.

ABRAHAM *fide iuſtus.*
Hæc propoſitio & ſimiles, catholicæ ſunt. At verò per eas intelligere, quòd ſola fides ſine operibus iuſtificet eſt error: in quē ſenſum illam trahunt hæretici.

Leuitici. Cap. 17.

Sacrificia priuata prohibet.
Suſpecta annotatio, & ad legem nouam detorta, vt detorquent illam hæretici, oblationes & miſſas priuatas tollentes, eſt hæretica.

Deuter. Cap. 4.

Dehortatio à quacunque ſimilitudine adoranda. Et ibidem, Imagines ne fiant quæ adorentur, ſolicitè rurſum dehortatur.
Ex iis ſcripturæ locis & ſimilibus, deducere in lege noua non eſſe adorandas Imagines ea adoratione qua Eccleſia Romana conſueuit, vt hæretici deducunt, eſt error.

Ibidem.

Verbo Dei nihil addendum aut detrahendum.
Ex his verbis velle colligere, leges humanas eſſe tollendas, & inferre, nihil eſſe credendum, quod

quod non ſit expreſſum in ſacris literis, aut nihil eſſe in noua lege præcipiendum, quod non ſit præceptum in eiſdem, vt hæretici faciunt eſt error.

Cap. 5.

Solus Deus adorandus.

Hæc propoſitio excludens adorationem ſanctorum, eſt erronea.

Cap. 7.

Statuæ ſubuertendæ.

Hæc propoſitio vniuerſaliter accepta, non habetur in ſcriptura ſacra, ſed eſt error, tollens imagines ſanctorum, præterquam quòd hæretici in contemptum Imaginum, eas vocant ſtatuas.

Cap. 8.

Cuncta Deo tribuenda, meritis ac hominum iuſtitiæ penitus nihil.

Hæc propoſitio falſa eſt & hæretica, cum prorſus humana merita tollat & liberum arbitrium.

Cap. 9.

Non propter iuſtitiam & æquitatem cordis tribuit quicquam Deus hominibus.

Hæc propoſitio falſa eſt & erronea, & ſi quæ ſimiles alicubi reperiantur, cum ſint contra liberum arbitrium & humana merita.

Cap. 11.

Benedictio obedientibus uerbo Dei, maledictio non credentibus.

E Cum

Cum textus loquatur de non obedientibus, malitioſè mutant in non credentibus. Quo innuere videntur, eos qui non obediunt mãdatis Dei, non habere fidem, quod hæreticum eſt.

Cap. 12.

Faciendum quod Deus præcipit, non quod nobis rectum uidetur.

Suſpecta eſt nota, quòd uideatur tollere leges humanas.

Ibidem.

Verbum Dei ſolum faciendum, cui nihil addendum.

Hæc propoſitio in ſenſu hæreticorum eſt erronea, quia tollit leges humanas, & docet nihil eſſe credendum quod non ſit expreſſum in ſacris literis, aut nihil eſſe in noua lege præcipiendum quod non ſit præceptum in eiſdem.

Cap. 15.

Alendi pauperes, nec permittendi ut mendicent. Et ibidem, Prohibetur mendicitas.

Hæ & ſimiles propoſitiones iniurioſæ ſunt, & malitioſè an notatæ, in odium religioſorum mendicantium.

Dap. 16.

Statuam ſeu imaginem prohibet.

Hæc propoſitio docẽs eſſe tollendas imagines in noua lege, eſt erronea, præterquàm quòd hæretici in contemptum imaginum eas appellant ſtatuas, vt in illa Deut. 7. Statuæ ſubuertendæ.

Cap. 18.

Propheta aliud quàm uerbum Dei prædicans, interficiendus.

Hæc propoſitio eſt ſuſpecta, quòd videatur tollere doctrinam Eccleſiæ & ſanctorum, & innuere, nihil eſſe docendum, quod non ſit expreſſum in ſcriptura diuina.

Cap. 22.

Charitas etiam brutis exhibenda.

Inepta & impropria locutio.

Cap. 30.

Verbo Euangelico prædicato, & corde credito, præceptum Dei implctur.

Hæc propoſitio uniuerſaliter ſumpta, erronea eſt, ſignificat enim ſola fide impleri præcepta omnia, in quo ſenſu ab hæreticis ſumitur.

Ioſuæ Cap. 23.

Hortatur populum ut ſoli Deo fidant.

Hæc propoſitio eſt ſuſpecta, quòd videatur negare inuocationes & auxilia ſanctorum. Et ſimilis huic annotatur ab hæreticis alia propoſitio Deut. 8.

Regum Primo Cap. 7.

Corde ſoli Deo ſeruiendum.

Hæc propoſitio vera eſt, ſed ſi per hoc velint tollere interiorem venerationem ſanctorum, eſt error.

Cap. 12.

Propter promiſſiones ſuas parcit Deus.

Hæc propoſitio eſt ſuſpecta, quòd videatur in-

E 2 nuere

nuere, ſolam fidem in promiſſa Dei iuſtificare, & nulla requiri opera.

Ibidem.

Pœnitenti & fidenti parcit Deus propter promiſſiones.

Hæc propoſitio eſt eadem cum ſuperiori niſi quòd apertius declarat pœnitentiam nihil agere ad remiſſionem peccatorum. Qui hæreticorum noſtri temporis præcipuus eſt error.

Regum. 2. Cap. 7.

Nihil uult agi Deus ſine uerbo ſuo.

Hæc propoſitio vniuerſalis, falſa eſt & erronea. Tollit enim humanas leges, præcepta & inſtitutiones.

Ibidem.

Beneficia Dei tribuenda uerbo, promiſſioni & bonæ uoluntati eius.

Hæc propoſitio eſt cautè legenda, ne excludantur noſtra merita.

Regum. 3. Cap. 22.

Deus per ſpiritum erroris in ore pſeudoprophetarum ſeducit eos, qui uerbum ſuum oderunt.

In hoc loco & ſimilibus diuina ſcriptura debet intelligi de permiſſione. qua Deus interdum permittit ſceleratos homines ob ſua flagitia decipi & ſeduci.

Regum 4. Cap. 19.

Propter ſeipſum & propter promiſſiones ſuas ſaluat Deus.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, ut illa primo Reg. cap. 12.

cap. 12. Propter promiſſiones &c. Nam & propter opera ſaluat Deus.

Cap. 20.

Propter ſe & promiſſa ſaluat Deus.

Hæc eſt eadem cum ſuperiori.

Paralip. 1. Cap. 17.

Sine uerbo ſuo nihil uult agi Deus.

Hæc propoſitio uniuerſalis, falſa eſt, & erronea. Vtilla 2. Reg. cap. 7. Nihil uult agi, &c.

Paralip. 2. Cap. 19.

Deus per ſpiritum erroris in ore pſeudoprophetarum ſeducit interdum eos, qui uerbum ſuum oderunt.

Hæc propoſitio eadem eſt cũ illa 3. Reg. cap. 22. & ideo eadem cenſura eſt notanda.

Cap. 16.

Confeſſio.

In hoc loco ſuſpecta eſt nota, in odium confeſſionis auricularis.

Iob. Cap. 4.

Solum Deum iuſtum, omnesque homines iniquos.

Hæc propoſitio erronea eſt, quia contra ſcripturam quæ multos appellat iuſtos.

Cap. 9.

Hominis iuſtitiam eſſe nullam apud Deum.

Hæc propoſitio falſa eſt & hæretica, cum neget iuſtitiam operum humanorum.

Cap. 12.

Negat hominum merita æſtimari apud Deum.

Hæc

Hæc apertè falſa eſt,& hæretica.

Cap. 16.

Docet Deum iuxta ſuam uoluntatem non noſtra merita, hic punire.

Hic titulus ſi loquatur vniuerſaliter, falſus eſt & reiiciendus. Interdum enim in hoc ſæculo propter demerita punit Deus.

Cap. 31.

Iob uult hominibus fortunam ex prouidentia Dei eſſe, non ex ſuis meritis.

Hæc propoſitio negans bona temporalia aliquãdo dari hominibus propter merita, falſa eſt, cùm ſacra ſcriptura multos referat, memoretq; bona temporalia propter ſua opera à Deo recepiſſe. Falsò ergo tribuit Iob prædictam ſententiam.

Pſalmus. 17.

Puritas Chriſti quæ & noſtra facta eſt.

Hæc propoſitio & ſi vera ſit iuxta ſenſum catholicum, iuxta ſenſum tamen hæreticorum duplicem continet errorem. Primus eſt qui aſſerit homines iuſtos & puros, non per puritatem aut iuſtitiam propriam, quæ illis inhæreat, eſſe iuſtos, ſed per iuſtitiam Chriſti, illis (vt hæretici aiunt) imputatam. Alter error in hac propoſitione latens, eſt, quòd opera noſtra nihil ad purificandum aut iuſtificandum hominem, conducant.

Pſal. 31.

Docet quanta ſit iſtius hominis fælicitas, qui aſſequutus ſit

per

per fidem ueniam peccatorum.
Hæc propoſitio ſi ſoli fidei tribuat ueniam peccatorum, eſt hæretica.

Pſal. 33.

Peccata non imputat Deus ſanctis ſuis.
Hæc propoſitio iuxta ſenſum hæreticorum, eſt hæretica. Dicunt enim iuſtum ſemper eſſe in peccato, & in omni opere peccare, ſed non imputari à Deo.

Pſal. 36.

Fideles non derelinquuntur à Deo.
Hæc propoſitio falſa eſt & hæretica, quamuis hæc ſit uera, iuſti non derelinquuntur à Deo. Et hinc conſtat falsò hæreticos & ex induſtria, ſemper uertere fidelem pro iuſto.

Pſal. 43.

In ſolo Deo ſperandum, qui ſolus ſaluat propter ſe ipſum.
Huius propoſitionis ſecunda pars, eſt ut illa 4. Reg.cap.19. propter ſe ipſum & propter promiſſiones ſuas, ſaluat Deus.

Pſal. 54.

In tribulationibus omnia Deo committenda.
Hæc propoſitio eſt ſuſpecta, quòd uideatur reiicere omnem prudentiã & induſtriam humanã.

Pſal. 63.

Chriſtus ſatisfactio pro peccatis.

Hæc

Hæc propoſitio uera eſt & catholica, cæterùm in ſenſu hæreticorum, quòd ſcilicet opera noſtra non ſint ſatisfactoria pro peccatis, eſt hæretica.

Pſal. 80.

Qui Deo credit in nullo alio fidit.

Hæc propoſitio cùm apertè tollat inuocationem & auxilium ſanctorum, eſt erronea.

Pſal. 88.

Peccatores punit ſaluaturus quidem Deus, ſed tantùm propter ſuam miſericordiam.

Hæc propoſitio ſi per eam negare uelint hæretici, opera noſtra eſſe meritoria ſalutis æternæ, eſt hæretica.

Pſal. 90.

Canit quàm tutus agat liberq; à malis uniuerſis, qui Deo ſe ſola fide commiſerit.

Hæc uera eſt, ſed ſuſpecta, quòd innuat tantam fidei certitudinem, quæ omnino excludat timorem, & prorſus à malis ſpiritualibus reddat liberum, præſertim cum in textu nulla ſit mentio de fide.

Pſal. 93.

Miſericordiæ Dei dono, fidelis non perit cum infideli.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quia non diſtinguit fidelem à iuſto: nec iuſtum ab iniuſto, niſi per hoc quòd iniuſto imputatur peccatum, non autem iuſto.

Ibidem.

Ibidem.

Solus Deus adiutor & ſaluator.

Hæc propoſitio quatenus dicit ſolum Deum adiutorem, ſuſpecta eſt, quòd uideatur tollere ſanctorum & iuſtorum auxilia.

Pſal. 141.

Fide liberabimur.

Hæc propoſitio catholica eſt, uerùm ſi intelligatur quòd ſola fides ſine operibus iuſtificat, eſt hæretica. In quem ſenſum detorquent illam hæretici, ut illa, Abraham fide iuſtus, Gens 15.

Prouerbiorum. Cap. 5.

Propriis laboribus uult Deus nos uiuere.

Hæc propoſitio eſt ut illa Deuter 15. Prohibetur mendicitas.

Eccleſiaſt. Cap. 9.

Per iuſtitiam operum neſcit homo, an odio uel amore dignus ſit.

Praua interpretatio loci, in odium operum humanorum. Nam & ſi per iuſtitiam operum, nemo ſciat an odio uel amore dignus ſit, tamen nec per iuſtitiam fidei, quod illi latenter ſignificant.

Cap. 11.

Omnia committenda diuinæ prouidentiæ.

Hæc propoſitio catholica eſt, ſi tamen per eam tollunt humanam induſtriam, hæretica eſt.

Ibidem.

Omnia à Deo.

Hæc propoſitio uera eſt, & catholica: ſed inde

281

colligere, mala culpæ eſſe à Deo, ut hæretici colligunt, eſt hæretica.

Sapientiæ Cap. 13.

Quam uanè ſtudent, qui in creaturis quærunt diuinitatem, & fatuè adorant, preces porrigentes.

Hæc propoſitio uera eſt, ſed cauenda eſt hæreticorum malitia, per hoc ſignificantium, non eſſe ad ſanctos fundendas preces.

Eccleſiaſtici Cap. 11.

Ab externis nemo iudicandus.

Si per externa intelligantur opera exteriora, ut intelligunt hæretici, propoſitio eſt erronea.

Cap. 39.

Malis omnia in malum cooperantur.

Hæc propoſitio erronea eſt, nam malorum opera bona, in bonum eis cooperantur, & ad multa iuuant.

Ibidem.

Bona bonis proſunt, malis autem etiam bona ſunt mala.

Huius propoſitionis ſecũda pars eſt erronea.

Eſaiæ. Cap. 1.

Execratur dominus peccata Iudæ unà cùm ſacrificiis.

Hæc propoſitio quò ad ſecundam partem ſuſpecta eſt, quòd uideatur damnare ſacrificia, ceremonias, & exteriorem cultum.

Eſa. Cap. 8.

Fiducia in Deo, non in humano auxilio.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quia uidetur tollere inuoca-

inuocationes & auxilia ſanctorum.

Cap. 25.

Fideles impiis Iudæis mactatis, quamuis inuoluti ſint multis malis, ſeruabuntur per Chriſtum.

Hæc propoſitio temeraria eſt & erronea, uniuerſam ſalutem ſoli fidei tribuens.

Cap. 28.

Chriſtus credentibus ſalus.

Hæc propoſitio eſt ut illa, Gene. 15. fides iuſtificat.

Cap. 30.

A creaturis auxilium petentes decipiuntur.

Hæc propoſitio in ſenſu hæreticorum, ſcilicet quòd non ſint inuocandi ſancti, erronea eſt. Similis eſt illa quæ in aliis impreſſionibus in hoc loco habetur, Iraſcitur Deus ſi præter ipſum humano conſilio ſiue auxilio innitamur. atque ideo eadem cenſura eſt plectenda.

Cap. 43.

Nulla in nobis iuſtitia.

Hæc propoſitio falſa eſt & hæretica, cùm tollat prorſus iuſtitiam operum humanorum, & omnem iuſtitiam nobis inhærentem.

Ibidem.

Soli Deo fidendum.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quòd videatur negare orandos eſſe ſanctos.

282

Cap. 45.

Deus cum ſit creator omnium, ipſe ſolus eſt inuocandus.

Hæc propoſitio eſt erronea, cum tollat inuocationem ſanctorum.

Ibidem.

Chriſtus iuſtitia noſtra, & in aliis Bibliis, Deus iuſtitia & fortitudo noſtra.

Hæc propoſitio uera eſt: qui tamen per illam uolunt tollere iuſtitiam nobis inhærentem, aut iuſtitiam operum humanorum, errant ut in illa Pſal. 17. Puritas Chriſti &c.

Ibidem.

In Hypocritas qui ſe externis operibus ſanctificant.

Hæc in ſenſu hæreticorum, ſcilicet quòd bona opera exteriora ſint hypocriſis, & reddant operantem hypocritam, erronea eſt.

Cap. 46.

Execratur culturam Imaginum inſenſibilium dominus.

Hæc propoſitio deriuata ad legem nouam, eſt erronea, cùm tollat uenerationem imaginum.

Cap. 51.

Aufer timorem humanum à fidelibus.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quòd illum errorem præſeferat, uidelicet tantam eſſe fidei certitudinem, ut omnem timorem excludat.

Cap. 53.

Chriſtus iuſtitia noſtra.

Hæc propoſitio eſt iam ſuperius annotata, eſt cap. 45.

Cap. 58.

Cap. 58.

Elidit dominus Iudæorum præſumptionem, qua confidebant legis ſcientiæ, orationi, ieiunio, ſabbato, & diuino cultui.

Suſpecta annotatio in odium ceremoniarum, & operum exteriorum.

Ibidem.

Inſtigat prædicatores, ut liberè hypocriſim humanorum operum redarguant.

Hæc propoſitio eſt ut illa, In hypocritas qui ſe in externis operibus ſanctificant, Eſaiæ. 45. & ideó eadem cenſura eſt notanda.

Hieremiæ. Cap. 7.

Iubet Hieremias annuntiare populo uerbum domini, confidenti in externo templi cultu nihil iuuante.

Hæc propoſitio erronea eſt, cum aſſerat externas cerimonias & exteriorem cultum nihil iuuare.

Ibidem.

Prohibet dominus orare pro populo.

Hæc propoſitio cùm uniuerſaliter ſignificet non eſſe orandum pro populo, erronea eſt, & contra morem Eccleſiæ & ſanctorum, & calumniam infert textui ſacro, qui ſolùm prohibet pro populo Iudaico orare, quia obſtinatus erat.

Cap. 8.

Inuitat eum Dominus ad reſipiſcentiam.

Perperam hæretici pœnitentiæ nomen mutant in reſipiſcentiam, quam definiunt eſſe uitæ mutationem, aut emendationem ſine dolore peccatorum

torum præteritorum. Et hæc cenſura deſeruiat ubicunque pœnitentiæ nomen mutatur in reſipiſcentiam.

Cap. 14.

Neque ieiunia, nec uictimæ obſtinatis pro ſunt.

Hæc propoſitio falſa eſt, & erronea, cùm proſint illis, tum ad bona temporalia, tum ut conuertantur à peccatis.

Baruch. Cap. 2.

Vera Chriſtianorum confesſio.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, in illo loco poſita, quia latenter tollit confeſſionem auricularem, quam hæretici tollunt.

Ezechiel. Cap. 14.

Contemptores uerbi ſui decipit interdum Deus.

Hæc propoſitio eſt ut illa. 3. Reg. cap. 22. Deus per ſpiritum erroris in ore pſeudoprophetarum ſeducit interdum eos qui uerbum ſuum oderunt. & ideo eadem cenſura notanda.

Ibidem.

Iuſti non liberabunt impios à malis immiſſis, ſed ipſi iuſti tantùm in ſua iuſtitia ſaluabuntur.

Hæc propoſitio falſa eſt & erronea, cùm ſæpè iuſtorum orationibus peccatores liberentur ab immiſſis malis.

Cap. 33.

Impio reſipiſcenti, anteacta peccata non imputantur.

Hæc propoſitio ſi intelligatur de imputatione ad

pœnam

pœnam temporalem, ut hæretici intelligunt, ex hoc tollentes purgatorium, eſt erronea.

Danielis. Cap. 9.

Vera confeſſio.

Hæc annotatio eſt ut alia quæ habetur Baruch. 2.

Oſeæ. Cap. 9.

Malorum ſacrificia diſplicent Deo.

Hæc propoſitio, ſi intelligatur quòd Deus reprobet peccatorum ſacrificia, aut quòd nolit ea fieri, eſt erronea.

Abacuc. Cap. 2.

Iuſtus ex fide uiuit, & impius ubique perfidè agit.

Hæc propoſitio quo ad ſecundam partem erronea eſt, cùm apertè aſſerat peccatorum opera nihil prorſus ualere.

Zachariæ. Cap. 7.

Ieiunia abſque operibus miſericordiæ, nihil eſſe.

Hæc propoſitio falſa eſt & erronea, atque in odium Eccleſiaſtici ieiunii annotata.

Cap. 14.

Omnia ſancta in Eccleſia Dei, & impii ex Eccleſia pellendi.

Huius propoſitionis utraque pars, eſt erronea, cùm apertè excludat peccatores ab Eccleſia.

Matthæi. Cap. 8.

Qui ſine operibus eſt, Chriſti non eſt.

Hæc propoſitio, ſi intelligatur non eſſe Chriſti per gratiam, uera eſt, cæterùm in ſenſu hæreticorum, ſcilicet quòd non ſit membrum Eccleſiæ

per

per fidem, erronea eſt.

Cap. 9.

Paralyticus fide ſanatur à corporis infirmitate et à peccatis.
Hæc propoſitio eadem cenſura plectenda eſt, qua illa, Abraham fide iuſtus, Gene. 15. cùm ſentire uideatur, fidem ſolam ſanare à peccatis.

Ibidem.

Fide ſanatur mulier. Cæci duo fide in Chriſtum ſanantur.
Hæc propoſitiones ſi intelligantur de ſanitate ſpirituali, ad quam malitioſè uidentur alludere hæretici, eadem cenſura notandæ ſunt, qua illa Geneſ. 15. fides iuſtificat. Eædem propoſitiones habentur. c. 16. & 20. & ſicubi alibi repertæ fuerint, eadem cenſura plectantur.

Cap. 11.

Exprobrat Dominus ciuitatibus quæ non crediderunt.
Hæc propoſitio, cùm textus loquatur de non agentibus pœnitentiam, prauè mutat non pœnitentes in non credentes, uel in infideles.

Cap. 12.

Iudæi fide puri.
Hæc propoſitio eſt ut illæ. Matth. 9. Fide ſanatur mulier: Cæci duo fide in Chriſtũ ſanantur.

In titulo. Cap. 15.

Traditiones humanæ, & ciborum delectus, reiiciuntur.
Hæc propoſitio hæretica eſt & erronea, cùm tollat leges Eccleſiaſticas, ieiunia præcipientes, & certum ciborum genus interdicentes.

Cap. 19.

Cap. 19.

Vxor ob ſolam fornicationem dimittenda.

Hæc propoſitio ſi intelligatur quo ad uinculum, erronea eſt.

Cap. 20.

Operariorum æquale præmium. Ideſt æquale in uinea Domini operantibus datur præmium.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quòd uideatur tollere merita operum, atque adeo inæqualitatem meritorum.

Cap. 22.

Veſtis nuptialis fides.

Hæc propoſitio erronea eſt, quòd tribuat fidei quod eſt charitatis.

Marci Cap. 10.

Vxor ob ſolam fornicationem dimittenda.

Hæc propoſitio in hoc loco præter textum Marci eſt, & ſi intelligatur quo ad uinculum, eſt erronea.

Lucæ Cap. 4.

Vita in uerbo Dei.

Hæc propoſitio uera eſt & catholica, ſed ſuſpecta, quòd latenter indicet, fidem ſolam uerbi Dei, ad uitam ſufficere.

Ioannis. Cap. 1.

Filij Dei, qui Chriſto credunt.

Hæc propoſitio catholica eſt, in prauum tamen

G &

& erroneum ſenſum detorta ab hæreticis, quòd fides ſola faciat filium Dei.

Cap. 3.

Fides, uita æterna.

Hæc propoſitio catholica eſt, uerùm perperam interpretata ab hæreticis, quòd ſola fides ad uitam æternam ſufficiat. Eadem propoſitio habetur cap. 4. & 5. & 11.

Cap. 15.

Opera nulla ſine fide.

Hæc propoſitio falſa eſt, cùm tollat opera moraliter bona.

Ibidem.

Opera à Deo.

Hæc propoſitio catholica eſt, ſed per eam malè intellectum eſt ab hæreticis, quòd bona opera ſint à ſolo Deo.

Cap. 17.

Sanctitas Chriſti noſtra.

Hæc propoſitio eadem cenſura caſtiganda eſt, qua illa, pſal. 17. Puritas Chriſti, quæ & noſtra facta eſt.

Actuum. Cap. 10.

Remiſſio peccatorum fides.

Hæc propoſitio uera eſt, ſed in ſenſu hæreticorum, quòd ſola fides in Chriſtum ſufficiat ad remiſſionem peccatorum, erronea eſt.

Ad Roma. Cap. 4.

Fides iuſtificat, non opera.

Hæc propoſitio hæretica eſt, cum ſignificet ſola fide iuſtificari hominem, & opera non requiri.

Ibidem

Abraham fide iuſtus. Et Abraham quo modo fide iuſtus, & fidei iuſtitia.

Quæ omnes propoſitiones eadem cenſura notandæ ſunt, qua illa, Geneſ. 15. Nam ſi per eas intelligatur quòd ſola fides ſine operibus iuſtificat, hæreticæ ſunt.

Cap 10

Iudæi diuinam ignorantes iuſtitiam, quæ ex fide eſt, à gratia Dei exciderunt.

Hæc propoſitio eſt eadem cenſura notanda, qua proximè præcedentes.

Ad Corinth. 1. Cap. 4.

Nemo iuxta exteriorem hominem iudicandus.

Hæc propoſitio erronea eſt, quia tollit iudicium humanum.

Cap. 6.

Chriſtianus non debet litem intendere proximo.

Hæc propoſitio erronea eſt.

Ibidem.

Iniuriæ & damna Chriſtianis ferenda.

Hæc propoſitio duplici ratione ſuſpecta eſt. Nam primò indicat non eſſe reſiſtendum Turcis, aut

aliis infidelibus, cùm bella Chriſtianis inferunt, ut Lutherus docuit. Deinde non licere chriſtianis, apud iudicem aut res ſuas repetere, aut iniurias perſequi, quod etiam Lutherani docét, in utraque parte turpiter errantes.

Ad Corinth. Cap. 1.

Sancti ſunt qui Chriſto fidunt.

Hæc propoſitio erronea eſt quatenus ſenſum habet uniuerſalem, quòd ſola fides ſeu fiducia in chriſtum, reddat homines ſanctos.

Ad Galatas, cap. 2.

Viuere in fide, & cap. 3. & 5. Ex fide iuſtitia. Ex fide iuſtitia non ex lege.

Hæ omnes propoſitiones eadem cenſura notandæ ſunt, qua illa propoſitio, Fides iuſtificat. Nam ſi per illas intelligatur, quòd ſola fides ſine operibus iuſtificat, hæreticæ ſunt.

Ad Philippenſes. Cap. 3.

Præter cognitionẽ unius Chriſti, omnia nihili facit Paulus.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quia uidetur tollere ualorem charitatis, & operum, & ſolam fidem magnificare.

Ad Theſſalon. 1. Cap. 1.

Gratiarum actio propter fidem à Deo datam.

Cum Paulus loquatur etiam de ſpe, & charitate, aliisq; bonis operibus, prauè in hoc loco annotatur ſola fides.

Cap. 4.

Mortui non lugendi.

Hæc propoſitio negans licitum eſſe lugure mortuos, falſa eſt, & contra morem ſacræ Scripturæ.

Cap. 5.

Dies iudicij pijs non formidandus.

Hæc propoſitio erronea eſt, cùm apertè ſignificet, tantam fidei certitudinem, quæ omnino timorem excludat.

Ad Theſſa. Cap. 1.

Pœna incredulis Euangelio.

Malitioſè annotata propoſitio, cùm textus loquatur etiam de non obedientibus Euangelio. Et ita uidetur innuere, omnes inobedientes eſſe incredulos, quod eſt hæreticum.

Cap. 3.

In eos qui non laborant manibus.

Hæc propoſitio eadem cenſura caſtiganda eſt, qua illa Deut. 15. Prohibetur mendicitas.

Prima, Ad Timoth. Cap. 1.

Lex non iuſto ſed impio data.

Hæc propoſitio eſt uera, qui tamen per illam docent, quòd iuſtus non ſit ſubditus legibus, errant.

Ad Titum. Cap. 2.

Fide mundatos, opera ſequuntur.

Quod dicitur fidem mundantem ſequi opera, hæreſis eſt noua, tribuens ſoli fidei, quod charitati etiam eſt tribuendum.

Ad

Ad Hebræos. Cap. 6.

Deficientes à fide nulla alia hoſtia expiantur quàm Chriſti.
Hæc propoſitio uera eſt. Verùm ſuſpecta, quòd uideatur negare opera noſtra ad iuſtificationem concurrere.

Ad Hebræ. Cap. 10.

Oblatio Chriſti ſola pro peccatis.
Hæc propoſitio duplici ratione ſuſpecta eſt. Primò quia uidetur docere, miſſam non poſſe pro peccatis offerri, ut hæretici horum temporum pernitioſiſſimè errantes, docent. Deinde uidetur omnino excludere opera noſtra ſatiſſactoria.

Ibidem.

Sacrificia omnia reijciuntur, præter ſolum Chriſtum.
Cùm Paulus loquatur de ſacrificiis ueteris legis, malè detorquetur textus ſcripturæ ſacræ ad nouam, ut priuata ſacrificia, & oblationes excludat, quod hæreticum eſt.

Ibidem.

Reijcientes Chriſtum, nulla hoſtia purgantur.
Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quia innuere uidetur, quòd, qui fidem amiſerunt, non poſſunt eam recuperare: quod eſt apertè hæreticum.

Cap. 12.

Accedendum ad Chriſtum, qui ſolus eſt audiendus.
Huius propoſitionis ſecunda pars ſuſpecta eſt, cùm uideatur innuere, nec audiendam Eccle-

ſiam,

256

ſiam, nec recipiendam doctrinam ſanctorum.

Iacobi. Cap. 2.

Per opera fidem iudicari.

Hæc propoſitio ſuſpecta eſt, quòd ad illud ſpectare uideatur, opera ſolùm oſtendere fidem, & nihil conferre ad iuſtificationem, nec ad promerendam gloriam, quod hæreticum eſt.

Ibidem.

Fides ſine operibus non eſt fides.

Hæc propoſitio cùm alludat ad hæreticorum errorem, quòd in peccatoribus poſt peccatum nulla maneat fides, aut quæ manet, non eſſe ueram fidem, falſa eſt & erronea.

Ibidem.

Abrahæ opera per fidem. Raab opera per fidem.

Vtraque propoſitio ſuſpecta eſt, quòd uideatur opera bona principaliter tribuere fidei tanquam formæ, cùm hoc ſit potius charitatis.

Prima Ioannis. Cap. 5.

Naſci ex Deo, eſt habere fidem in Chriſtum.

Hæc propoſitio uera eſt, & catholica, ſed in ſenſu hæreticorum, quòd ſola fides filium Dei faciat, eſt hæretica.

OMNES hi errores continentur in marginibus, aut in titulis capitulorum in uariis Bibliis annotati, qui abradendi ſunt, ut in fronte huius cenſuræ decretum eſt.

Et præter hanc cenſuram generalem, oportuit alteram

alteram peculiarem addere in Bibliam quæ impreſſa eſt Lutetiæ ſub mediocri forma in officina Roberti Stephani, cùm duplici tranſlatione uulgata, & noua, & cùm ſcholiis Vatabli, Anno 1545.

De hac igitur Biblia imprimis cenſemus totum nouum teſtamentum eſſe omnino reſecandum, reiiciendumq;, propter plurimos errores qui illius ſcholiis ſunt inſerti. Nam Teſtamentum uetus pauciſſimos errores continet, ac ſub his uerbis quæ catholicum ſenſum facilè admittant. Quapropter eius ſcholia permittimus, præſertim uiris doctis, quibus plurimum prodeſſe poſſunt: ſed ne rudes, & illiterati decipiantur, pauca quædam hic notare uolumus, quæ ſuſpitionem aliquam hæreſis præbere poterant.

Geneſis Cap. 15. numero 13.

Et reputauit ei illam ad iuſtitiam, illam ſubaudi fiduciam, id eſt ob eam credulitatem, qua creditur Deo liberos promitten ti: iuſtus apud ipſum Deum habitus eſt.

Hæc expoſitio eadem ſuſpectione laborat, qua propoſitio illa, Abraham fide iuſtus, Ad hæc fidem uertit in fiduciam.

Eſaiæ Cap. 63. numero 5.

Ego ſum, qui nuper prædicabam cùm uiuerem in mundo, iuſtitiam, & eam quidem quæ eſt per fidem in me.

Hæc propoſitio eſt ut illa ad Rom. 4. Fides iuſtificat.

Hieremiæ.

Hieremiæ Cap. 31. numero 63.

Fœdus nouum facile eſt, leue, beneuolentiæ & ſecuritatis plenum, ná continet illam magnificam promiſſionem ſalutis, & remiſſionis peccatorum, quam conſequuturi ſunt, qui in Chriſtum crediderint.

Hæc ſuſpecta eſt ſicut illa, Fides iuſtificat.

Oſeæ Cap. 2. numero 45.

Per iuſtitiam ideſt per fidem, qua iuſtificantur homines.

Hæc propoſitio eandem cùm præcedentibus ſuſpitionem affert.

NOVA Teſtamenta ſeparatim à Bibliis excuſa, eadem generali cenſura emendentur in quibuſcunque locis deprauata fuerint.

CENSVRA PROHIBENS BIBLIAM impreſſam Baſileæ apud Ioannem Oporinum, Anno MDLIIII. Menſe Martio, Sebaſtiano Caſtalione interprete.

IAMIAM erat in manus tuas formulis excuſa, tradenda, optime lector, hæc noſtra cenſura, qua decreuimus ſacrorum Bibliorũ volumina alicubi hæreſeos labe, aut eius ſuſpitione deprauata, munienda, ne cui poſthac per ignorantiam impingere contingat. Cum ad nos delata eſt, noua quædam trãſla

tio, Sebaſtiano Caſtalione interprete, apud Ioannem Oporinum Baſileæ excuſa, Anno à Chriſto nato, M D LIIII. Menſe Martio: quàm ne temerè uagari permitteremus, & horum temporum calamitas monuit, & aſſidua muneris nobis demandati cura poſtulauit. Et ut diligentius, oculatiusq; quid de ea ſtatuendũ eſſet diſcuteremus, uel titulus ipſe trãſlationis exegit, intelligentes nimirum nullum perniciosiorem lapſum inueniri poſſe, quàm qui textui inſertus ſacrarum literarum auctoritate tueatur, quod malum (ut iam te monuimus) Deus hactenus ab alioqui deprauatis Bibliis auertit, quouſque libuit huic Sebaſtiano ſic uertere, ut præter hæreſes in quas aliquando in ſuis additionibus incidit, in textu autem non rarò illis faueat, alicubi uerò ſic conſultò transferre uidetur, ut infirma reddat fundamenta quibus axiomata Chriſtiana, & religioni quàm neceſſaria nituntur, ita reddens ſacrarum literarum teſtimonia, quibus illa aſtruxerunt antiqui patres ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque in præſentem diem, ut nihil illis fauere uideantur: eo forſan animo (ut ſuſpicari licet) ut diruto fundamento, ruat quæ ſuperponitur ſtructura. Adde quòd mirum in modum delectatur Poetarum & Hiſtoriographorum ſtylo, uocibus nimiũ exquiſitis, ac proinde obſcuris, ornato. Indigno ſanè multoties diuinæ ſcripturæ pondere & maieſtate. Et quod minus ferendum eſt, quòd dum unicum eius ſtudium inſtitutumq; eſſe uideatur,

ut in nulla re conuenientem cum noſtra editione translationem edat, frequenter inuſitatis uocibus & peregrino ſermone labefactat uim atque energiam magnifici cuiuſdã ſenſus, quem receptaiam in uſu uerba præſeſeferrè intellexerunt uiri nõ minus pii quàm eruditi, qui diu in ſacris literis non ſine magna reipublicæ Chriſtianæ utilitate uerſati ſunt. Quam ob rem peritorum uirorum nec dubiæ fidei, conſilio uſi, indignam eſſe cenſuimus quæ manibus Chriſtianorum liberè contrectetur, quãuis non negemus inueniri aliqua quæ ſine periculo legi poſſent, ſed non ſunt tanti momenti, ut arbitremur magna utilitate carituros ſtudioſos, ſi ea caruerint, quin potius iudicaremus non paruam erroris anſam nos præſtitiſſe, niſi prohibuiſſemus, ſicut per hoc noſtrum edictum prohibemus.

REGESTVM.

ABCDEFGH.

Omnes ſunt quaterniones, præter H, qui eſt duernio.

VENETIIS, M D LXII.

Ex officina Iordani Zileti.

INTER OMNES